

20.
<II.>

|| I 65B

PRINCIPIUM IN SECUNDUM SENTENCIARUM._H

<Incepicio.>

<I.>

<1.> **S**I quis vestrum indiget sapiencia, postulet a Deo¹⁾
Iacobi 1^o.

Circa principium 1^{mi} libri in divisione huius thematis dixeram, quod sacra scriptura in 2^o libro Sentenciarum tradita laudatur ex magna auctoritate, quam habet ex originali principio, quia est a Deo. Nam dicit thema 'si quis vestrum indiget sapiencia, postulet a Deo'; sc. tamquam ab originali principio, a quo fontaliter originantur omnia et 'per quem omnia facta sunt', et sine quo 'factum est nichil': Johannis 1^o. Et quia omne, quod Deus fecit, valde bene fecit, cum Genesis 1^o dicitur: »Vidit »Deus cuncta, que fecerat et erant valde bona«, et sacra scriptura est aliquod, quod Deus fecit, igitur sacra scriptura est valde bona. Unde valde bona? Certe, quia valde bene a valde bono originali principio facta; igitur ex magna auctoritate, quam habet ab originali principio, est laudanda. Unde a principio procedens verissimo ipsa ostendit veraciter, quod quelibet creatura est spectaculum, a quo resultat Trinitatis et unitatis similitudo respectu creatoris. Nam respice interiori oculo mundum et considera; in quo unitatem et trinitatem ad similitudinem increate Unitatis et Trinitatis reperies. Tripharie enim mundus dividitur, ut primus sit mundus architipus,

¹⁾ I: *post omnia HD.*

qui est exemplar eternum mundi istius corporei; alius mundus sit macrocosmus, i. e. maior mundus sensibilis; et tercius mundus microcosmus, i. e. minor mundus, ut est homo racionalis. Hanc triplicitatem mundi sacra scriptura insinuans ostendit J o h a n n i s 1^o,
 || I 65 C quomodo Filius Dei ||, in quantum homo, in mundo erat, quoad mundum architipum, et mundus per ipsum factus est, tamquam per Deum, quoad mundum macrocosmum, et mundus eum non cognovit, in quantum Deum et hominem, quoad mundum microcosmum, qui mundus microcosmus, sc. homo, noluit elevari in
 10 racione per ea, que facta sunt in cognicionem Unitatis et Trinitatis increate, et sic evanuit in cogitatione sua.

<2.> Sed tu, qui sacre intendis scripture, aspice mundum, celum et terram, et omnia, que in eis sunt, et intellige, quia unus
 15 in essencia et trinus in personis propter te de nichilo fecit illa, et hoc per suam infinitam sapienciam, circa quam versatur huius 2ⁱ libri sententia. Quam sententiam si diligenter interiori oculo inspexeris, concipies scalam essendi rerum creatarum³, cuius scale sumitas a creacione cepit secundarium exordium, a qua summitate descendens per media videbis naturas secundum gradus essenciales
 20 alias ascendentes et alias descendentes in perfeccione, prout eas supremus artifex in ea limitavit. Sed in consideratione huiusmodi primum quasi extasi percussus reperies formam visibilem, que est figura umbratica invisibilium, et per eam tamquam per speculum et in enigmate invisibilia aspiciens ad ipsa fervencius anhelabis.
 25 Paulatim siquidem in tam subtili et alta scala oportet gressus dirigere et ad superiora quasi quibusdam proveccionis gradibus conscendere, donec Dei invisibilia per ea, que facta sunt, conspiciantur, ut per creacionem celi conspiciatur supremus factor,
 | I 65 D per gubernacionem | mundi sensibilis cognoscatur dominus invisibilis, per bonitates visibiles cogitetur summa invisibilis bonitas
 30 et per lumen sensibile inaccessibilis⁴ claritas affectetur. Sed per quem, nisi per creaturam racionalem, cui sapienciam indidit, ut per ea, que facta sunt, suum agnosceret et diligeret creatorem, non quidem sic, ut in illis finaliter quiesceret, sed omnia transcenderet, dirigens trans omnia memoriam, racionem et voluntatem
 35 et sic vires singulas ad amorem sui interminabilem conditoris ponendo per racionem in creaturis 1^m gradum esse creatum, 2^m gradum esse et vivere, ut in plantis, 3^m esse et sentire, ut in singulis animalibus, 4^m gradum esse et intelligere, ut in angelis et hominibus,
 40 5^m gradum esse in gracia, ut in sanctis, angelis et hominibus, 6^m gradum esse et delectabiliter intueri summum bonum, ut in salvatis.

<3.> Ecce hii sunt 6 gradus scale, quibus homo paulatim ascendit usque gradum primum simpliciter interminabilem, quos

²⁾ Codd.: post ostendit D. — ³⁾ Codd.: creaturarum I. — ⁴⁾ Codd.: inaccessibilis I.

gradus ad ipsius perfeccionem creator posuit sine indigencia sui et commodo, cum creavit hominem non ad sui indigenciam, nec ad suum commodum et sine merito hominis, sed ad magnum meritum hominis, ut indigens sapiencia postulet a Deo, per quam cognoscat suum meritorie creatorem et cognoscendo dyabolo resistat et creatori obediat ex amore: sic enim huius 2ⁱ libri tota sententia concludetur. Nam *prima conclusio* huius 2ⁱ libri est, quod unus est creator omnium rerum, celestium, terrestrium et infernorum, visibilium et invisibilium, qui ante tempora existens eternaliter per suam potenciam voluntate et bonitate sua mundum creavit: ecce ||| primum. Et *conclusio ultima* huius 2ⁱ est, quod debemus ||| I66A suggestioni dyaboli resistere et, divine ordinationi humiliter obedire: ecce secundum.

<4.> Et cum ad hec assequenda finaliter quilibet indiget sapiencia, igitur postulet a Deo; nam dicit thema 'si quis vestrum indiget sapiencia, postulet a Deo'. In quo tria, quoad 2ⁱ libri propositum, implicantur, ex quibus sacra scriptura excellentissime commendatur: videlicet receptum, receptibile et dativum: 'receptum' homo, qui est nobile, subiectum sapiencie, in quo est formaliter; 'receptibile' sapiencia, hominem perficiens realiter, — et 'dativum' Deus prestans sapienciam infallibiliter. Nam dicitur 'si quis vestrum': ecce sermo ad homines, in quo innuitur homo, qui est nobile subiectum sapiencie, in quo est formaliter; et cum subditur 'indiget sapiencia', manifeste ostenditur sapiencia, que est receptibile, hominem perficiens realiter; et dum subiungitur 'postulet a Deo', notatur Deus prestans sapienciam infallibiliter. Et patet, quod scriptura sacra laudatur in themate ex subiecto nobili, quod ipsam suscipit, 2^o ex suo esse formali, quo ipsum subiectum realiter perficit, 3^o ab auctore infallibili, qui ipsam creavit et homini contulit, ut ipsam suscipiens et complens in opere ad vitam glorie perveniret.

<5.> Dixi 1^o, quod scriptura sacra laudatur ex subiecto nobili, puta homine, qui ipsam suscipit. Est autem homo nobilis 1^o per naturam, quia factus, ad ymaginem et similitudinem Dei, Genesis 1^o; magna enim dignitas hominis sive nature humane est in hoc, quod homo factus est ad ymaginem | et similitudinem Dei | I66 B potius quam angelus. Nam homo habet convenienciam cum Deo intus et extra, quam non habet angelus: habet enim homo intus convenienciam secundum memoriam, intelligenciam et voluntatem, sicut habet angelus; sed extra habet convenienciam cum Deo, quam non habet angelus, nam sicut a Patre Filius, sic ab homine homo eiusdem nature. Unde et ipse Deus, Filius Dei unigenitus, naturam preteriens angelicam nature carnis assumpsit substanciam, dum »Verbum caro factum est et habitavit in nobis

⁵⁾ Codd.: om. l. — ⁶⁾ Codd.: nostre D pessime. — ⁷⁾ Codd.: in H add. h².

»nobiscum existens homo, qui non apprehendens angelos semen
 »Abrahe apprehendit«. Ad Hebreos 2^o. Vere magne nobilitatis
 est homo, quem Deus creavit inexterminabilem et sic perpetuum
 Sapientie 2^o; quem Deus creaturis pretulit: nam Ecclesia-
 5 stici 17^o dicitur: »Posuit timorem ipsius super omnem carnem
 »et dominatus est bestiarum et volatiliu«; cui etiam Deus con-
 tulit quadruplex adiutorium: unum ad recte vivendum, sc. [ad]
 conscienciam, secundum⁸ ad murmurandum contra malum et sti-
 mulandum ad bonum, quod est sinderesis, tertium est sciencia
 10 illuminans intellectum ad cognoscendum se ipsum et Deum suum
 et mundum istum, qui factus est propter ipsum: — unde accepit
 homo a Deo triplicem oculum, sc. carnis, quo videret mundum,
 rationis, quo videret animam, et contemplacionis, quo videret Deum,
 et sic ut oculo carnis homo videret ea, que sunt extra se, oculo
 15 rationis, que sunt intra se, oculo contemplacionis, que sunt supra
 se. Videt ergo homo oculo carnis extra se corporalia, oculo rationis
 videt intra se, que sunt spiritualia, oculo contemplacionis videt ea,
 || I66C que sunt supra se, que sunt supreme || amabilia: — et hinc quantum
 adiutorium datum⁹ homini est caritas, accendens¹⁰ ad diligendum
 20 Deum super omnia, qui se humiliavit propter ipsum hominem,
 cui subiecit demonem, angelum bonum deputavit ad custodiam
 et non tantum fratrem eius se, sed et seivum humillimum con-
 stituit. Unde Deus factus est homo, ut homo fieret Deus.

<6.> Hec si pensaret homo, cognosceret, quam foret nobilis,
 25 et studeret cognoscere se, ut se elevaret supra se, quia sic multo
 esset melior atque laudabilior. Unde dicit b. Bernhardus: »Multi
 »multa sciunt; stude cognoscere te ipsum, quia multo melior et
 »laudabilior es, si te ipsum cognoscis, quam si te neglecto cog-
 »nosceres cursus siderum, vires herbarum, complexiones hominum,
 30 »naturas animalium et haberes omnium celestium et terrestrium
 »scienciam.« Hec etiam si pensaret homo, non caduca quereretur¹¹,
 non lubrico viveret, sed mentem erigens animadverteret, quod Dei
 essencia lux est, vita, iusticia, bonitas, beatitudo, ad cuius simili-
 tudinem anima creata est, ut sit lucida, vitalis, iusta, bona atque
 35 beata. Propter hec siquidem debet hominis anima bonis operibus
 adornari. Nam dicit Bernhardus: »Animam tuam cur non
 »adornas bonis operibus, que Deo et angelis presentanda est in
 »celis? Quare animam tuam vilipendis et carnem ei preponis? Do-
 »minam ancillari et ancillam dominari magna abusio est! Totus
 40 »iste mundus ad unius anime precium existimari non potest: non
 || I66D »enim pro toto mundo | isto Deus animam suam daret, qui pro
 »anima dedit.« — Ecce quam preciosa est anima et quam nobilis,
 secundum quam homo factus est ad ymaginem et similitudinem

⁸) Codd.: 2^o H. — ⁹) Codd.: post homini H. — ¹⁰) Codd.: accedens D error e.
 — ¹¹) Codd.: queret I errore.

Dei⁵, et quam nobilis est homo, qui etiam secundum exteriorem hominem, i. e. secundum corpus, quodammodo ad exemplar mundi formatur, dum ex quatuor elementis componitur et hinc microcosmus, i. e. minor mundus, nominatur, ut dicit Augustinus De cognitione vere vite. Et sicut supra, quatuor elementa mundi magni corporei est quintum elementum, puta celum, ut dicit Philosophus, sic supra quatuor elementa exterioris hominis est quasi quintum elementum, sc. spiritus, qui est celum, in quo Deus delectatur specialiter habitare. Unde Apostolus preponderans dignitatem hominis ex similitudine, quam habet ad filium Dei, hortatur, ut tam preclaram similitudinem observemus; unde dicit 1^a Corinthiorum 15^o: »Primus homo de terra »terrenus, secundus homo de celo celestis: qualis terrenus, tales »terreni, qualis celestis, tales celestes.« Igitur sicut portamus ymaginem terreni, portemus ymaginem celestis, sc. Domini Jesu Christi, qui propter nostram salutem descendit de celis, factus humanitatis nostre particeps, ut nos faceret divinitatis sue participes et ex hoc ostenderet nobilitatem hominis, qui sacram scripturam suscipit, ex quo iam ipsa sapiencia commendatur.

<7.> Dixi 2^o, quod scriptura sacra laudatur ex suo esse formali, quo ipsum subiectum formaliter perficit, cum dicitur 'indiget sapiencia'. Unde quamvis in ||| sui natura homo est creatura, ut dictum est, dignissima, tamen sine divina sapiencia omnis homo est vanitas. Nam Sapiencie 13^o dicitur: »Vani »sunt omnes homines, in quibus non est sapiencia Dei.« Dicuntur autem vani, quia non attingunt finem beatitudinis, ad quem sunt facti, cum insipientibus non vult Deus misereri. Pro quo Dan. 12^o 13^o dicitur: »Non est populus sapiens, propterea non miserebitur ei, »qui fecit illum « Ecce ad quantum homo, in sui natura perfectus, sine sapiencia Dei vivens inperficatur, quam dum percipit, modo contrario valde perfectus efficitur, cum amicus Dei per sapienciam effectus in Deum quodammodo transformatur. »Sapiencia enim in »animas sanctas se transfert; amicos Dei et prophetas constituit«: dicitur Sapiencie 7^o. Et cum secundum Philosophum 8^o et 9^o Ethicorum 'amicus est alter ego', sequitur, quod qui amicus Dei per sapienciam efficitur, quod tunc in Deum quodammodo transformatur, nam ut sic alter ipse Deus efficitur. Et ex isto secundum philosophos viri eroici et sapientes sunt dii vocati, sicut et nunc sacerdotes contemplativi et sapientes laicorum dii appellantur: II^a quest. 1^a 'Sacerdotibus'.

<8.> Quisquis ergo vult perfectus effici, postulet sapienciam, quia venient omnia bona pariter cum illa; infinitus enim est

¹²⁾ ¹³⁾ Codd.: recte Isaia, XXVII, 11, errore auditorum? — ¹⁴⁾ Codd.: post insipientibus I. — ¹⁵⁾ Codd.: inperficetur H. — ¹⁶⁾ Codd.: perceperit D; in I ex perficit correctum. — ¹⁷⁾ Codd.: sit I errore. — ¹⁸⁾ Codd.: in I verba E. e. i. omissa et errore quod tunc in Deum ex precedenti linea iterata. — ¹⁹⁾ Codd.: post est H.

thezaurus hominibus sapiencia, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitie Dei Sapiencie 7^o. — Hoc b. Ambrosius considerans Epistola 36^a ad Constancium dicit: »Sapienti »nichil est alienum; quocunq[ue] accesserit, sua sunt omnia₂₀: totus
 5 »mundus ei possessio est, quoniam toto eo quasi utitur.« Et hinc
 | I67B est, | quod Salvator noster apostolis suis sapienciam conferens, cui non possent omnes adversarii resistere et contradicere, dedit eis potestatem docendi in universo mundo dicens Marci ultimo:
 »Euntes in universum mundum predicate ewangelium omni creature.«
 10 Et, ut comprehendam breviter, sapiencia et sic sacra scriptura maliciam vincit, peccatum expellit, a dyabolo liberat, mentem clarificat, errantem reducit, oppressum erigit, custodientem se beatificat, deducit per vias rectas et ostendit ei finaliter regnum Dei. Ex₂₁ hiis patet, quod sapiencia et per consequens scriptura sacra ex
 15 suo esse formali, quo hominem perficit, est laudanda.

<9.> Dixi 3^o, quod scriptura sacra ab auctore infallibili, qui ipsam creavit et homini contulit, est laudanda, cum dicitur 'postulet a Deo'. Quidquid enim laudis aliqua res accipit, hoc est in ordine ad ipsum auctorem infallibilem, qui sicut non potest
 20 falli, sic nec fallere, cum impossibile sit ipsum mentiri, ut ait Apostolus. Ex quo liquet sacre scripture veritas: unde Proverborum 3^o₂₂ dicitur: »Ne addas quidquam verbis illius et arguaris »et inveniaris mendax,« quia »unum iota aut unus apex non »preteribit a lege, donec omnia fiant« dicit Veritas Matth. 5^o.
 25 Cum ergo scriptura sacra non₂₃ potest₂₃ in minimo fore falsa capiens veritatis stabilitatem ab ipso Deo, iuste a suo opifice est laudanda, qui mentiri non potest, cum sit summa veritas, falli nequit, cum sit summa sapiencia, abesse non potest, cum sit Deus ubique
 || I67C existens, ubique videns, ubique in||plens et dans petentibus sapienciam affluenter: igitur 'si quis vestrum indiget sapiencia' volens Deum cognoscere, cognoscendo diligere, diligendo ad vitam venire, 'postulet a Deo', qui per suam sapienciam docet, vocat et trahit nunc in presenti ad gratiam et post in gloriam sempiternam. Ad quam nos dignetur perducere, qui est via₂₄, veritas
 35 et vita Jesus Christus Dominus in secula seculorum benedictus.

²⁰) Codd.: post sua I. — ²¹) H: et ID pessime. — ²²) Codd.: 30 I errore.
 — ²³) Codd.: om. H — ²⁴) Codd.: I add. et quod v^l delere voluit.

<II.>

<Questio.²⁵>

<1.> **U**trum Deus, qui solus est creator, mundum sensibilem per creacionem ab eterno potuit produxisse?

Et videtur, quod sic: nam Deus est omnipotens, cuius potencie nichil potest resistere, ut canit sepius divina auctoritas; ergo mundum sensibilem per creacionem ab eterno esse productum non potest potencie Dei resistere, quia hoc derogaret eius omnipotencie, quod est Deo inconueniens. Sed nullum inconueniens secundum Anshelmum Deo est impossibile, igitur Deus, qui solus est creator, mundum sensibilem per creacionem ab eterno necessario potuit produxisse²⁶. Tenet consequentia ex opposito, quia si unum contradictorium est impossibile, alterum est necessarium. — In oppositum arguitur sic: illud, ex quo posito in esse cum aliquo vero coassumpto sequitur impossibile, ipsum est impossibile, ut patet ex principiis loice 1^o Priorum et 9^o Methaphisice. Sed posito, quod mundus sensibilis per creacionem ab eterno sit productus, cum hoc vero, quod cuiuslibet hominis spiritus est perpetuus, sequitur impossibile, sc. quod infiniti sunt actualiter spiritus, ergo mundum sensibilem per creacionem ab eterno esse productum est impossibile. Consequentia ista nota est ex principiis, quod autem sequitur exposito et assumpto | vero istud impossibile 'infiniti sunt actualiter spiritus' patet. Nam sequitur 'mundus eternaliter est productus per creacionem', ergo mundus eternaliter est; et cum non defuit sibi species humana secundum supposita, quia tunc defuisset sibi species optima et sic foret colobicus sive in²⁷ perfectione essentiali deficiens, sequitur, quod eternaliter erant²⁸ homines: et tamen continue multiplicantur spiritus hominum indesinibiles; se-

²⁵) In codd. inscriptio deest; H exhibet Questio a h². — ²⁶) Codd.: producere I male. — ²⁷) Codd.: in H erasum. — ²⁸) Codd.: I errore bis scripsit.

quitur, quod infiniti sunt actualiter spiritus, cum ut sic non est
dabilis prius homo.

*Protestor*₂₉ etc.₃₀

<2.> Pro questione ego₃₁ noto, quod creator proprie dicitur,
5 qui aliquid ex nullo₃₂ presupposito preter se de esse intelligibili
in esse ad extra produxit vel producit. Sicut creare est aliquid
de esse intelligibili nullo preter Deum presupposito ad extra pro-
ducere; sed creare inproprie est idem, quod rem ex alia re preter
Deum facere, ut Ecclesiastici 17^o dicitur »Deus de terra
10 creavit hominem« i. e. fecit; vel in officio dignitatis constituere,
sicut creantur episcopi₃₃ et publici, vel rem meliorem, quam prius
erat, facere, propter quod artifices dicuntur vulgariter creatores. —
Secundo noto₃₄, quod mundus sensibilis dicitur ad differentiam
mundi architipi, qui solum est intelligibilis, existens exemplar eternum
15 mundi sensibilis, ut dictum est — mundus autem sensibilis, de quo
volo questionem intelligere, est aggregatum ex universis creaturis
a principio temporis inclusive usque eternaliter in futurum. Et iste
mundus, quamvis sit creatus in primo instanti secundum omnes
partes suas quoad esse sive in esse primi creati, tamen pro nullo
20 instanti temporis nec pro aliqua hora habet omnes partes simul
actualiter in propria forma existentes. — Tercio noto, quod questio
|| 168A unum presupponit et secundum querit: presupponit, || quod solus
Deus est creator, et querit, utrum mundum sensibilem
per creacionem ab eterno potuit produxisse.

<3.> Quantum ergo ad suppositum, *conclusio sit ista*: Solus
25 Deus est proprie creator. Probatur. Solum Deus₃₅ aliquid ex nullo
presupposito preter se de esse₃₆ intelligibili₃₇ ad extra produxit
vel producit: igitur conclusio vera. Consequencia tenet ex notabili
primo; sed antecedens probatur, quia solum₃₈ Deus nullam aliam
30 causam preter se in productione ad extra presupponit eo, quod
omne agens aliud a Deo in accione sua presupponit primam causam,
sine qua non potest agere: igitur antecedens verum et per con-
sequens conclusio iam expressa. Patet eciam ista conclusio per
b. Augustinum super Genesim dicentem: »Non est phas
35 aliquem creatorem nisi Deum credere aut dicere,« et per venerabilem
Anselmum in Monologion dicentem: »Sola essencia
Dei creatrix est.« — Ex ista conclusione sequitur 1^o, quod nulla
pura creatura est proprie creatrix vel creator, 2^o sequitur, quod
Deus non est pura creatura, 3^o sequitur, quod omne aliud a Deo,
40 quod non est Deus, habet esse a Deo; 4^o sequitur, quod creare
proprie est potencie infinite, 5^o quod nulla pura creatura potest

²⁹⁾ Codd.: om. I spatio servato. — ³⁰⁾ H: om. ID. — ³¹⁾ Codd.: ergo H.
— ³²⁾ Codd.: ex nichilo corr. H. — ³³⁾ Codd.: epistoli D. — ³⁴⁾ Codd.: nota I. —
³⁵⁾ Codd.: in H add. h¹ est, h² qui. — ³⁶⁾ Codd.: se H. — ³⁷⁾ Codd.: intelligi
biliter H. — ³⁸⁾ Codd.: solus H.

creare, quia nulla, ut huius<modi>³⁹, potest esse potencie active infinite, que potencia ad creacionem requiritur tamquam causa.

<4.> *Conclusio 2^a*. Non repugnat una faccione aliquid fieri ex nichilo et alia faccione fieri ex aliquo. Probatur. Homo est proprie pura creatura, igitur creatus est ex nichilo; et idem homo factus est ex limo terre, igitur factus est⁴⁰ ex aliquo. Iste consequencie sunt bone et antecedencia canit fidei scriptura: igitur conclusio vera. Ex ista conclusione 1^o elicio, quod non sequitur 'hoc est factum ex aliquo, igitur non est pura creatura, 2^o quod non sequitur 'hoc factum est ex aliquo, igitur non est factum ex nichilo: patet⁴¹, quia homo idem est ex nichilo⁴¹ et ex aliquo; | ex nichilo, ut producitur inmediate a prima causa nullo alio modo presupposito; et ex aliquo preter Deum, ut fit a causis secundis, sc. materiali, efficiente, finali et formali, ita quod ly 'ex' non dicat solum causam materialem.

<5.> *Conclusio 3^a*: mundus sensibilis secundum se totus est solum a Deo creatus. Probatur: mundus sensibilis est aggregatum ex universis creaturis a principio temporis inclusive usque eternaliter in futurum, ut dicit notabile secundum. Sed illud totum aggregatum est creatum a Deo et a nullo alio est creatum. Probatur primo sic: solum Deus est fontale principium effectivum a se, de se et per se sufficiens illud aggregatum absque medio extrinseco ad extra producere volendo et dicendo, ut fieret. Sed ipse voluit et dixit et factum est, ut dicitur Genesis 1^o, igitur conclusio vera. Maior arguitur sic: Deus est fontale principium effectivum, a se, de se et per se sufficiens illud aggregatum absque medio extrinseco ad extra producere volendo et dicendo, ut fieret, quia »ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt«, ut dicit Psalmista. Sed nichil aliud preter Deum vel nondeus est fontale principium effectivum a se, de se et per se sufficiens illud aggregatum absque medio extrinseco ad extra producere volendo et dicendo, ut fieret, cum oporteret illud esse formaliter Deum et sic nondeus esset Deus, quod contradiccione implicat: igitur assumptum verum. Consequencia tenet ab exponentibus debitis ad suam expositam et per consequens conclusio vera. — Secundo probatur conclusio sic: Deus creavit mundum sensibilem, ut canit fides catholica. Solum ipse Deus sic habet potenciam suam, sic sapienciam, sic bonitatem, ut ex ea non exeat, nisi, quod voluerit, et cum voluerit, et quomodo voluerit; || et solum ipse sic habet copiositatem et fortitudinem potencie, ut quidquid potest, possit de⁴² se⁴² solo, a se et per se solum; et nullum aliud sic habet copiositatem et fortitudinem sue potencie, sed quodlibet aliud, quidquid potest, ab ipso Deo et per ipsum potest: igitur conclusio

³⁹) I: codd. hus. — ⁴⁰) Codd.: om. I. — ⁴¹) Codd.: verba patet ∞ nichilo om. I. — ⁴²) Codd.: om. I.

vera. Nota est maior per se, sed minor ex eo evidet, quod omne aliud a Deo sue accionis potenciam a Deo recipit, presupponens ipsius Dei potenciam, sine qua penitus nichil potest. — Ex iam dictis primo sequitur, quod solum Deus est per se primum principium; secundo sequitur, quod nichil preter Deum est creator mundi; tercio sequitur, quod nichil aliud a Deo est sufficiens sine Deo aliquid producere: patent ista, quia nichil aliud a Deo de se solo, a se et per se solum potest aliquid efficere, ut patet ex probationibus iam expressis. Igitur corellaria vera.

10 <6.> Suppono pro *conclusionē quarta*, quod eternum sive eternitas capiatur propriissime, prout inportat carenciam principii et finis et sic carenciam inchoacionis et desicionis. Sic enim communiter accipiunt proprie homines eternum, quod est et nec habet principium existendi neque finem et sic quod nec incipit nec desinit esse. Sic etiam ex vocabulo sonat eternum, sc. ens extra
15 terminum a parte ante et a parte⁴³ post. — Ex quo notabili 1^o patet, quod eternitas est infinita, 2^o quod est indivisibilis in partes secundum prius et posterius, 3^o quod est influxibilis sed permanens. Ista suppositione cum corellariis stante sit *conclusio 4^a* ista: Non
20 potuit iste mundus sensibilis per creacionem eternaliter esse productus Probatur, quia — da oppositum sc.⁴⁴ quod potuit iste mundus sensibilis per creacionem eternaliter esse productus. Contra sequitur: potuit iste mundus sensibilis per creacionem eternaliter
|168D esse productus; igitur potuit iste mundus sensibilis per creacionem
25 esse. Ponatur illa de possibili ad suam de in esse sc. istam: mundus sensibilis per creacionem est, quam veritas fidei tenet; et ex altera parte sequitur 'potuit iste mundus sensibilis per creacionem eternaliter esse productus', igitur potuit iste mundus sensibilis eternaliter esse. Ponatur illa in esse, quod mundus sensibilis eternaliter est.
30 Tunc ex illa de in esse arguitur sic: iste mundus sensibilis per creacionem est; igitur mundus sensibilis existendo⁴⁵ preter Deum cepit esse et per consequens existendi novitatem⁴⁶. Tenet ista consequencia ex diffinitione creacionis, que ponitur in notabili primo. Et ex secunda de in esse arguitur sic: iste mundus sensibilis eternaliter existit; igitur iste mundus sensibilis non ex nichilo preter
35 Deum cepit esse et per consequens nec existendi novitatem: tenet ista consequencia ex vi eternitatis, quam supposui in notabili esse sine inchoacione et desicione, et per consequens sine novitate, cum novitas et eternitas correspondent sibi ex opposito sicut creacio et
40 eternitas. Et hinc Philosophus, sed inphilosophice, cum suis sequacibus istum mundum sensibilem posuit increatum.

<7.> Ex ista conclusione sequitur 1^o, quod implicat contradiccionem istum mundum sensibilem esse creatum et ipsum eter-

⁴³) Codd.: in I inepte scriptum. — ⁴⁴) Codd.: vel I. — ⁴⁵) D: ex nichilo I, ex nullo H. — ⁴⁶) Codd.: novitate D.

naliter existere; 2° sequitur, quod repugnat creature ex parte sui eam fuisse ab eterno. Ex isto notabili patet, quod prima conclusio reverendi fratris Johannis, mecum in Sentenciis concurrentis, quam posuit in principio suo in secundum, est falsa, que est ista: 'Non repugnat creature ex parte sui fuisse ab eterno.' 3° ex conclusione ista sequitur, quod repugnat potencie divine creaturam ab eterno produxisse eo, quod repugnat ipsam productam fuisse. Ex quo patet, quod secunda conclusio reverendi fratris, quam posuit in eodem principio, ||| est falsa, que dicit: 'Non repugnat divine potencie creaturam ab eterno produxisse.' — Uterius sequitur, quod corellaria, que intulit ex suis duabus cum tertia conclusionibus, sunt falsa: nam 2^m corellarium est hoc: 'non implicat contradiccionem ab eterno extitisse mundum'; 5^m₄₇ est hoc: 'non est impossibile creaturam suo creatori esse duracione coeternam'; 7^m est hoc: 'stat mundum esse productum ex nichilo et cum hoc eum extitisse ab eterno'; 8^m est hoc: 'aliqua distincta ab essencia divina potuerunt₄₈ extitisse eterna'; 9^m est hoc: 'mundum esse factum ex nichilo non includit mundum esse factum post nichil'; 10^m est: 'non est de racione formali creature, quod habeat esse post non esse'; 11^m 'perfecta racio eternitatis non consistit in carencia principii et finis'. Omnia ista corellaria sunt falsa eo, quod racionibus ipsius creacionis et ipsius eternitatis contradicunt implicite vel expresse. Corellarium ultimum 'questio ut proponitur est neganda'. Tunc ad racionem negatur consequencia et cum assumitur pro causa, quia hoc derogaret divine potencie, negatur hoc; nam sicut hoc non derogat divine potencie, quod non potest eternaliter ad extra se produxisse, sic nec in proposito. Conceditur tamen, quod repugnat divine potencie omne simpliciter impossibile implicans contradiccionem; et quia mundum sensibilem per creacionem eternaliter esse productum implicat contradiccionem, ideo dicitur divine potencie repugnare, non tamen exinde sequitur, quod aliquid resistat divine potencie aut voluntati ipsius efficaci.₄₉

⁴⁷⁾ Codd.: corellarium *add. H.* — ⁴⁸⁾ Codd.: potuerat *errore I.* — ⁴⁹⁾ Codd.: efficaci *I errore.*

<III.>

<I.> Iam *restaret* cum magistris meis et baccalariis reverendis mecum in Sentenciis concurrentibus conferre. Sed quia magister meus **Stephanus**⁵⁰ **Palez** et magister **Nicolaus** **I 169 B Stör** nec non frater Petrus Mangolt⁵¹ volunt mecum in pace
5 quiescere, igitur ego, ut juvenis catulus, nolo eos eciam irritare. Sed convertam me ad reverendum fratrem Johannem, amicum meum, qui mea dicta inpugnavit fortiter, et argumenta sua dissolvam sicut potero, et demum eius conclusiones cum corellariis
10 inpugnabo. Et quia circa principium 1ⁱ libri posueram 4^{am} conclusionem istam: 'Increata Trinitas sacram scripturam donat ex gracia hominibus' — et non: 'increata Trinitas sacram scripturam donat solum ex gracia hominibus, ut perpetue sint salvati', contra
15 illam conclusionem⁵² arguit reverendus frater sic: 'prima pars interimit secundam, ergo una illarum est falsa'; nego assumptum; et quando arguit⁵³ sic: »Sequitur: sacra scriptura datur ex gracia, ergo non ex merito«, nego consequenciam: sicut non sequitur 'vita eterna datur ex gracia, ergo non ex merito', cum cuicumque homini datur⁵⁴
20 vita eterna, illa datur ex gracia Dei et ex merito Domini Jesu Cristi. Et quando dicit: 'consequencia patet per Apostolum ad Romanos 2^o', nego hoc, cum non dicat hoc Apostolus ad Rom. 2^o sc. »Si gracia ex operibus, iam non est gracia« quamvis bene dicitur Ad Romanos 3^o: »ex operibus legis non iustificabitur omnis caro«, quod est verum 'ex solis', sed gratis per gratiam ipsius et redempcionem ipsius, que est in Christo Jesu, quem posuit
25 Deus propiciatorem per fidem in sangwine ipsius, ut dicitur ibidem. Et ad confirmacionem quando arguit reverendus frater sic: 'illud, quod ex gracia datur, gratis datur'; concedo, 'sed non solum ex gracia'; et ultra; 'quod autem ex merito datur, non gratis datur'; concedo; et quando infert: »si ergo sacra scriptura ex gracia daretur,

⁵⁰) *Codd.*: Sthephanus I. — ⁵¹) *Codd.*: Mangol I. — ⁵²) *Codd.*: consequenciam I. — ⁵³) *Codd.*: arguitur D. — ⁵⁴) *Codd.*: datur addit errore I.

et etiam ex merito daretur: sequitur, quod gratis daretur et non gratis daretur.« Nego consequenciam, unde dico, quod sacra scriptura alicui ex pura Dei⁵⁵ || gracia nullo eius preveniente merito data || I69C est vel datur, alicui vero ex merito, sicut patet in multis sanctis, qui meruerunt per sacram scripturam divinitus illustrari. Et tunc 5 ultra, si distinxissem de multiplici gracia, arguit: »sequeretur, quod omne, quod Deus operatur, quod hoc fieret ex gracia.« Concedo consequenciam; et quando dicit consequens falsum, ego nego; ad probacionem signo penam ipsius primi angeli et arguo sic: Ista pena processit ex gracia, ergo non ex rigore iusticie. Ego nego 10 consequenciam et dico, quod graciose eum punit, ergo citra condignum; concedo consequenciam; et ex alia parte rigorose eum punit, ergo ultra condignum: nego consequenciam. Et tantum ad primum.

<2.> 2° arguit reverendus baccalarius sic: 'Pono casum, 15 quod Deus det Sorti noticiam de sacra scriptura tantam precise, quantam meruit; et pono cum hoc, quod suo preciso merito correspondeant decem questiones.' Admitto casum, sed hoc dico, quod sciencia decem questionum non excludit, quin Sortes plus sciat, quando illas decem distincte sciet vel scit. Tunc arguit⁵⁶ sic: 20 'Quidquid Sorti datur de sacra scriptura, hoc totum precise meruit.' Nego illam: nam datur Sorti sciencia unius questionis, que non precise merito correspondet ex casu, cum decem questiones ex casu precise merito correspondent. Et patet, quod ulterius argumentum⁵⁷ non procedit. 25

3° contra eandem conclusionem arguit sic: 'Primo homini dedit⁵⁸ Deus scienciam ex sola gracia et ex nullo merito; ista est indefinita et vera est de sciencia primi hominis primo data. Sed eque verum est, quod primo homini dedit Deus scienciam ex merito, quam scienciam iam habet.' Et arguit: 'Nullus purus homo 30 potest aliquid mereri a Deo.' Nego illud assumptum; ad probacionem: plus tenetur homo Deo, quam aliquis homo parentibus suis. Concedo, intelligendo de parentibus carnis: et quando ultra assumit 'sed quilibet homo tantum tenetur parentibus, quod omnibus operibus⁵⁷ suis non sufficit eis satis | facere (ex 9° Ethicorum), | I69D ergo nec aliquis homo potest Deo satisfacere': concedo consequenciam, accipiendo satisfacere pro equali recompensa; et quando infert 'ergo omnibus operibus nostris nichil possumus mereri et per consequens nec sacram scripturam': nego primam consequenciam, quia alias frustra essent mandatorum Dei et consiliorum opera, 40 si non per illa homines mererentur.

4° arguit sic: 'Quero, an ipsa Trinitas totum, quod confert de scriptura sacra, donet ex gracia. Et si sic, tunc superflueret me-

⁵⁵) Codd.: post gracia H errore. — ⁵⁶) Codd.: arguitur H male. — ⁵⁷) Codd.: om. I. — ⁵⁸) Codd.: post Deus H.

ritum.‘ Nego istam consequenciam et quando assumit: ‘et e con-
verso: Si donat eam totam ex merito, superflueret gracia’, similiter
nego istam consequenciam.

5° arguit sic: ‘Si Deus ex gracia sive ex₅₇ merito donat
sacram scripturam, ergo eadem ratione potest dare quamlibet aliam
scienciam seu noticiam’. Concedo consequenciam; et quando arguit
‘consequens falsum’, nego assumptum ad probationem; quando
dicit ‘sic pono, quod Deus conferat Sorti noticiam experimentalem
alicuius delectacionis, sit illa noticia A’, admitto. Et arguit sic:
‘illa noticia, que uno die millesies potest esse erronea, illa non
est certa noticia seu sciencia’. Concedo illam, quia est negativa,
cuius subiectum pro nullo supponit respectu predicati. Sicut con-
cedo illam: illa chimera₅₉, que uno die millesies potest esse
erronea, non est certa noticia seu sciencia, quia si non, da oppo-
situm et apparebit falsitas. Et tunc ulterius argumentum pileum
non habebit.

6° arguit sic: ‘Si Deus potest dare sacram scripturam ex
gracia, sequitur, quod₆₀ purus viator posset scire omnia. Consequens
falsum, cum hoc solum potest intellectus divinus.’ Hic concedo
consequenciam et nego consequens esse falsum; et quando in-
probat dicens, quod solum potest intellectus divinus, nego illud
assumptum. Si enim puer scit omnem dualitatem esse numerum
|| 170Aparem, quamvis non distincte in speciali, ||| quid miri, quod homo
purus viator scit omne ens esse eius et sic quod scit omnia, sicut
scit Deus. Et ergo Philosophus dicit 1° Posteriorum, quod
scivit omnem dualitatem esse numerum parem in generali. Unde
dicit: ‘quodammodo scivit et quodammodo nescivit’: scivit in ge-
nerali, sed nescivit in particulari.

<3.> Iam restat contra dicta reverendi baccalarii arguere et
quia ponit 1^{am} conclusionem istam: ‘Non repugnat creature ex parte
sui eam₆₁ fuisse ab eterno.’ Contra₆₂: repugnat presenti instanti
temporis creacio, quod signo per A, fuisse ab eterno₆₂. Et volo
semper conformiter intelligere esse pro existere per creacionem
facto, sicut reverendus baccalarius intendit, et arguo sic: Impossibile
est presens instans temporis A eternaliter extitisse; ergo conclusio
falsa. Consequencia nota est, antecedens probatur, quia detur oppo-
situm: possibile est presens instans A eternaliter extitisse. Ponatur,
quod extitit A instans presens eternaliter; tunc sic: presens instans A
extitit eternaliter, ergo est sine inicio; consequens falsum et con-
sequencia tenet ex ‘quid nominis’ eterni, ut dicit suppositio in
conclusionem mea 4^a, quod autem consequens sit falsum. Nam
primo sequitur, quod presens instans toti tempori equaretur vel
precederet totum tempus; 2° sequitur, quod nullum instans tem-

⁵⁹) I chia, DH chya. — ⁶⁰) Codd.: homo add. H. — ⁶¹) Codd.: ca I male.
— ⁶²) Codd.: in D verba contra ~ eterno scriptor omisit, d² in marg. addidit.

poris aliud instans precederet; 3^o quod essent plura instancia simul; 4^o quod in A instanti presenti fierent generaciones et corrupciones; sed ista sunt veritati philosophice contraria, ergo conclusio non est verisimiliter sustinenda. Quod autem illa secuntur, patet: nam ex quo A presens⁶³ instans temporis creatum ex data conclusionem est eternaliter creatum, tunc non incepit⁶⁴ existere et per consequens tempus secundum nullam partem sui precedit illud instans A. Et quia ipsum instans A est eternum, ergo aperte post non sequitur tempus ipsum A, sed oportet, quod vel A instans precedit ipsum totum tempus, vel sequitur, vel est eque primo cum toto tempore. Et par probatio est de 2^o consequente | et de 3^o | 170B et de 4^o. Notum est, quod in illo instanti, ex quo nec inciperet nec desineret esse, quod generaciones et cetere⁶⁵ alteraciones fierent in eodem, et eadem ratione. 2^a conclusio est falsa, que dicit: 'Non repugnat potencie divine creaturam ab eterno produxisse'; nam ambe iste conclusiones cum suis corellariis stant vel stare videntur in claudo pede. Unde arguit reverendus⁶⁶ frater Johannes pro conclusionibus sic: 'omnis effectus, qui subito producitur, potest esse coeternus sue⁶⁷ cause. Sed creatura subito est a Deo producta, ergo potuit sibi esse coeterna.' Ecce argumentum hoc peccat in materia et in forma; in materia, quia maior est falsa, nam nullum instans temporis, quod subito⁶⁸ producitur, similiter nullus spiritus creatus, potest esse Deo⁶⁹ coeternus, ymmo nec mundus, qui est subito productus. In forma autem⁷⁰ peccat, quia variatur in argumento copula de presenti in preteritum. 2^o arguit sic pro conclusionibus: 'Non plus repugnat Deo mundum produxisse pro 1^o instanti eternitatis, sicut pro 1^o instanti temporis. Sed secundum non repugnabat, ergo nec primum.' Ecce argumentum istud peccat in forma, quia est ex omnibus negativis. Et in maiori includitur falsitas comparativo accepto inproprie; nam repugnabat divine potencie pro instanti eternitatis produxisse mundum, sed non repugnabat produxisse eum in primo instanti temporis. Et quando probat, quod pro instanti eternitatis nec repugnabat ex parte divine potencie, nec ex parte creature, ibi diceretur⁷¹ secundum Thomam de Argentina, quod repugnabat ex parte creature, sed non ex parte divine potencie; sic, quod Deus potuit producere mundum eternaliter, sed mundus non poterat⁷² produci. 2^o potest dici, quod repugnabat ex parte utriusque ita, quod non potuit Deus pro instanti eternitatis || mundum produxisse, quia tunc tam perfectus foret || 170C mundus sicut Deus. Unde quia Pater eternaliter dat esse Filio, necesse est Filium esse eque perfectum sicut Patrem. Et patet, quod conclusiones ille cum corellariis, que supra dixi, non possunt bene stare. 40

⁶³) Codd.: prius *I* et ante *A*. — ⁶⁴) Codd.: cepit *I*, post existere *D*. — ⁶⁵) Codd.: om. *I*. — ⁶⁶) Codd.: om. *H*. — ⁶⁷) Codd.: siue *I* male. — ⁶⁸) Codd.: temporis add. *D* male. — ⁶⁹) Codd.: post potest *I*. — ⁷⁰) Codd.: aut *I*. — ⁷¹) Codd.: dicitur *I*. — ⁷²) Codd.: potuit *I*.

Tunc ponit **reverendus baccalarius in articulo secundo** conclusionem istam: 'aliqua Dei precepta quoad substantiam operis possunt impleri absque gracia gratum faciente.' Contra: impossibile est mandatum Dei impleri, nisi impleatur primum preceptum, quod est diligere Deum. Sed impossibile est hominem diligere Deum absque gracia gratum faciente, cum diligere Deum est bene bonum velle Deo, quod presupponit gratiam gratum facientem in homine: igitur nulla precepta Dei quoad substantiam operis possunt impleri absque gracia gratum faciente. Maior arguitur sic: Mandata Dei implere in bona consequentia sequitur ad Deum diligere; nam sequitur 'ille homo Deum diligit, igitur ille homo mandata Dei servat' et hinc Salvator Johannis 14^o dicit: »Si quis diligit me, sermonem meum (et sic mandata) servabit.« Et iterum ait: »Si diligitis me, mandata mea servate!« Similiter: in diligere Deum dependet omnis lex et prophete Matth. 22^o: igitur nulla lex mandatorum Dei potest impleri, nisi impleatur prius in radice, que est Deum diligere, quod est actus operis, quoad substantiam, qui non potest impleri absque gracia gratum faciente: igitur videtur, quod conclusio non sit vera. Secundo arguitur sic: Impossibile est mandata Dei impleri sine Deo, ergo et absque gracia gratum faciente. Si non, sequitur: detur oppositum consequentis, quod possibile est aliqua mandata Dei impleri absque gracia gratum faciente. Contra sequitur: possibile est aliqua mandata Dei impleri, absque gratum faciente, ergo pro descensu distribu|tionis possibile est aliqua mandata Dei impleri absque ista gracia gratum faciente — demonstrato Deo, cum ipse sit gracia gratum faciens. Consequens falsum repugnans antecedenti: ergo consequentia fuit bona.

Item ponit **reverendus frater in eodem articulo conclusionem** istam: Nullus potest implere Dei mandata quoad intencionem precipientis absque speciali dono gracie gratum facientis. Contra: irundo, ciconia, milvus, turtur ex scriptura parent mandatis Dei et implent mandata Dei quoad intencionem ipsius Dei precipientis absque speciali dono gracie gratum facientis: ergo conclusio falsa.

Item **ponit in tercio articulo conclusionem** istam: productio alicuius rei ex nichilo arguit infinitam potentiam in producente. Contra: nulla productio est ex nichilo. Probatur 1^o sic: 'nec productio ex nichilo est, cum iam illa desiit esse, nec aliqua alia: igitur nulla.' Vel detur aliqua: 2^o sic 'omne quod producit, producit ex Deo, igitur ex aliquo et per consequens non ex nichilo.' Tenet consequentia, quia eiusdem rei non possunt esse causa vel cause contradictoria sibi invicem contradicentia; et antecedens patet per illud Ad Romanos 11^o 'ex quo omnia'.

Item ponit eiusdem conclusionis corellarium 5^m istud: 'Omne factibile potest Deus producere.' Contra sequitur 'omne factibile

⁷³⁾ Codd.: post faciente H. — ⁷⁴⁾ Sic codd.

potest Deus⁷⁵ producere; sed iste mundus factus est factibile, igitur istum mundum factum potest producere⁶. Consequencia nota est et minor patet virtute ampliacionis; consequens vero falsum: nam si istum mundum factum potest Deus producere, tunc posset omnes eius partes producere et sic tempus factum potest producere et per consequens preteritum revocare. Consequens contra b. Je-
ronimum et contra philosophos, qui dicunt, quod hoc Deus caret, videlicet quod non potest preteritum revocare. —

Hec sint dicta cum humili reverencia⁷⁶ et⁷⁷ informacione reverendi domini Johannis, baccalarii sacre⁷⁸ theologie⁷⁷. — — 10

⁷⁵) *Codd.*: post factibile D. — ⁷⁶) H: reverencie ID. — ⁷⁷) *Codd.*: om. I.
— ⁷⁸) *Codd.*: om. H.